

quod sit incongruum. Multa enim ad munditias carnis pertinentia exigebantur de necessitate præcepti in veteri lege, quæ carnalibus dabatur, quæ non exiguntur in nova lege, quæ est lex spiritus.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod cum mulier habeat potestatem in corpus viri quantum ad actum generationis spectat, & è converso, tenetur unus alteri debitum reddere quocumque tempore, & quacumque hora, salva debita honestate, quæ in talibus exigitur; quia non oportet quod statim in publico debitum reddat.

Ad primum ergo dicendum, quod ille, quantum in se est, non consentit, sed id quod ab eo exigitur, invitus, & cum dolore reddit: ideo non peccat: hoc enim est propter lubricum carnis divinitus ordinatum ut semper petenti debitum reddatur, ne aliqua occasio peccandi detur.

Ad secundum dicendum, quod non est aliqua hora ita determinata ad orandum, quin possit postea recompensari in aliis horis: & ideo objectio illa non cogit.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod quando novæ sponsæ traduntur, animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur; & ideo in nuptiis consueverunt signa multa lætitiæ dissolutæ ostendi: & propter hoc illis temporibus in quibus homines præcipue debent se ad spiritualia elevare, prohibuitur est nuptias celebrari.

Hoc autem est ab adventu usque ad epiphaniam propter communionem, quæ secundum antiquos

canones in nativitate fieri convenienter solet. & à septuagesima usque ad octavas paschæ, propter communionem paschalem: & à tribus diebus ante ascensionem usque ad octavas pentecostes, propter præparationem ad communionem illo tempore inveniendam.

Ad primum ergo dicendum, quod celebratio matrimonii habet aliquam mundanam lætitiã, & carnalem adjunctam, quod non est de aliis sacramentis: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod non fit tanta distractio animorum in redditione, vel petitione debiti, sicut in celebratione nuptiarum: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod cum tempus non sit de essentia matrimonii, si in tempore indebito contrahatur, nihilominus verum est sacramentum: nec separatur matrimonium simpliciter, sed ad tempus, ut penitentiam agant de hoc quod statutum Ecclesiæ sunt transgressi: & sic est intelligendum quod Magister dicit.

EXPOSITIO TEXTUS.

SI prius promiserit, & postea prohibuerit &c. Videtur ex hoc quod vir possit revocare uxorem ad se, etiam si de licentia sua castitatem vovit. Et dicendum, quod verbum Augustini intelligitur, quando vir dissimulavit ante plenam deliberationem; quæ quidem dissimulatio quidam consensus videtur. Si autem expresse consensisset, non posset votum revocare. Unde loquitur quantum ad iudicium Ecclesiæ, quando promissio non potest probari. Unde propter periculum talia vota occulta non sunt approbanda.

Nec carnes agni edere. De impedimento sumptionis eucharistiæ propter carnalem delectationem in somno, supra dist. ix. dictum est.

DISTINCTIO XXXIII.

De diversis conjugii legibus.

Quæritur hic de antiquis patribus, qui plures simul leguntur habuisse uxores, vel concubinas, utrum peccaverint. Ad quod dicimus, quod pro varietate temporum varia invenitur dispensatio Conditoris. Ab exordio enim temporis inter duos tantum, Adam scilicet & Evam, inchoatum est conjugium, Deo per os Adæ dicente (Gen. 1. 24.) „Homo adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una“ & secundum inchoationis modum inter duos tantum per omnem successione temporum contraheretur conjugium, si primi homines in obedientia perstitissent. Post eorum vero copulam, filii & filiae eorum matrimonio conjuncti sunt, sed unus uni tantum. Ideo autem fratres sororibus sunt copulati, quia non erant aliæ mulieres, vel viri, quibus Adæ filii, vel filiæ jungerentur. Primus omnium Lamech duas legitur simul habuisse uxores: & hoc in eo arguitur, quia pro expletione carnalis voluptatis id fecisse perhibetur. Postea vero, cum jam pene omnes homines falsis diis servirent, paucis in cultu Dei permanentibus, consuetum est à Deo plures in matrimonio sibi copulare, ne illis paucis deficientibus, cultus, & Dei notitia deficeret. Unde Abraham vivente uxore ad ancillam intravit, & ex ea genuit: Jacob etiam liberis, & ancillis se copulavit: & filiæ Loth parte ebriæ usæ sunt. Cum enim ceteris in idolatria relictis, Abraham, & filios ejus in peculiarem populum sibi Dominus elegisset, rite multarum fecunditate mulierum, populi Dei multiplicatio quærebatur, quia in successione sanguinis erat successio religionis. Unde etiam in lege maledicta erat sterilis, quæ non relinquebat semen super terram. Hinc etiam sacerdotibus conjugia decreta sunt, quia in successione familiæ successio est officii. Non ergo Abraham, vel Jacob deliquit, quia præter uxorem filios ex ancilla quæsit; nec illorum exemplo præter conjugale debitum fecunditatem in aliqua licet alicui quærere; cum illorum conjugia nostrorum æquentur virginitati, & immoderatus usus conjugii nostri temporis turpitudinem fere imitetur fornicationis illius temporis. De hoc Augustinus (a) cap. xv. de bono conjugali sic ait: „Antiquis justis non fuit peccatum quod pluribus foeminis utebantur; nec contra naturam hoc faciebant, cum non lasciviendi causa, sed gignerendi hoc facerent; nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant; nec contra præceptum, quia nulla legere erat prohibitum.“ Idem (ibid.), Ob-

EX EDIT. P. NICOLAI. (a) Lib. XXII. contra Faustum cap. XLVII.

„jiciuntur Jacob quatuor uxores: quod quando mos erat, crimen non erat (1) Sic enim Patriarchæ conjugibus excipientibus semen suum miscebantur, non cupiscentia perficiendæ voluptatis, sed providentia propagandæ successionis, sicut Apostoli auditoribus suis admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendæ laudis, sed charitate seminandæ veritatis. “ Idem alibi (Lib. de bono conjug. cap. xlii.) „Antiquis temporibus, cum adhuc salutis nostræ mysterium velaretur, justis officio propagandæ nuptias contrahebant, non victi libidine, sed ducti pietate; qui multo facilius continere possent, & vellent. Utebantur tamen conjugibus, & plures uno viro habere licebat, quas castius habebat quam nunc unam quilibet istorum, in quibus videmus quod secundum veniam concedit Apostolus. Habebant enim eas in opere generandi, non in morbo desiderii.“ Item Ambrosius (b) „Dixit Sara ad Abraham, Gen. xvi. 2. Ecce conclusit me Dominus, ut non pariam. Intra ergo ad ancillam meam, & filium facias ex ea. Et ita factum est. Considera primum, quod Abraham ante legem Moysi, & ante Evangelium fuit. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem prævenit: nondum enim interdictum videbatur. Secundo considera, quod non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio conjugalem posthabuit thorum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat humani generis; erat etiam religionis. Denique & Loth sancti hanc filiarum causam quærendæ posteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum: & ideo publici muneris gratia privatam culpam præxit.“ Item Augustinus (de bono conjugali cap. xv.) „Justus, quamvis cupiat diuitias, & esse cum Christo, tamen sumit alimentum non cupiditate vivendi, sed officio consulendi, ut maneat quod necessarium est propter alios. Sic misceri foeminis jure nuptiarum, officiosum fuit sanctis viris, non libidinosum. Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis; & utrumque non est sine delectatione carnali; quæ tamen modificata, (2) & refrænante temperantia in usum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod autem in sustentando vitam illicitus est cibus, hoc est quærenda prole fornicarius, vel illicitus concubitus: & quod est in cibo licito immoderatio appetitus, hoc est in conjugibus venialis ille concubitus.

Non præfertur virginitas Joannis castitati Abrahæ.

QUOD vero castitas virginalis non præferatur in merito conjugali castitati Abrahæ, Augustinus ostendit (de bono conjugali cap. xxi.) inquit: „Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, & in Joanne qui passus non est; sic non est impar meritum continentiæ in Joanne qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios genuit. Nam illius coelibatus, & istius concubium (3) pro temporum distributione Christo militaverunt; sed continentiam Joannes in opere, Abraham in solo habebat habitu. Melior est autem castitas coelibum quam nuptiarum; quarum unam Abraham habebat in usu, ambas in habitu: caste enim & conjugaliter vixit. Esse autem castus sine conjugio potuit; sed tunc non oportuit.“ Item Hieronymus (c): „Quis ignoret (4) sub altera dispensatione Dei omnes retro Sanctos ejusdem fuisse meriti, cujus nunc (5) Christiani sunt? Quomodo Abraham ante placuit in conjugio, sic nunc virgines placent in castitate. Servivit ille legi, & tempori suo: servimus & nos legi, & tempori nostro, in quos fines sæculorum devenerunt.“ Ex his apparet quod Sancti patres ante legem sine peccato plures habuerunt uxores, vel concubinas. Eas enim nunc uxores appellat Scriptura, nunc concubinas. Rachel tamen, & Lia ambæ uxores fuerunt, non concubinae.

Oppositio.

SI quis opponat, quod fidem thori non servabant illi patres; dicimus, in hoc servasse fidem thori, quia non aliis, sed propriis uxoribus, vel ancillis miscebantur. Ecce quæ fuerit consuetudo in hac re ante legem. (6) Legis vero tempore interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre, cum noverca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru, & aliis quibusdam. Levit. xviii. & xx. Permisit autem Deuter. xxiv. divortium fieri dato libello repudiij, in quo vir ponebat causas pro quibus uxorem repudiabat. Permisit autem aliam ducere dato priori libello: quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit, non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium. Permisit fieri mala, ne fierent pejora. Et hoc permittendo non Dei justitiam demonstravit, sed in peccatore minuit culpam,

Cui licebat plures habere, vel non.

SED numquid sub lege licebat habere plures uxores? Audi quid scriptum est in Deuter. cap. xvii. 17. „Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animam ejus.“ super quem locum ait Augustinus Lib. V. quæst. xxvi. „Manifestum est Salomonem hoc præceptum transiisse. David autem plures habuit nec præceptum præterit. Permissum est enim Regi plures habere, non plurimas, quæ alliciant animam, multiplicare. Cum tamen additur, (7) Ut non elevetur cor ejus, alienigenas (8) multiplicare prohibitum esse videtur. Verumtamen multiplicatio uxorum generaliter prohibita est. Permissum est autem Regi plures habere, sed non multiplicare. Veniente autem plenitudinis tempore, quo Christi gratia ubique est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremque institutionem, ut unus uni in figura Christi & Ecclesiæ conjugatur. Nec quæritur electio muneris in successione generis.

In IV. Sent. Tom. V. (1) Al. Si Patriarchæ. (2) Al. & refrænata. (3) Al. per temporum distributionem. (4) Al. sub alta. (5) Nicolai omittit Christiani sunt. (6) Ex his quæ sequuntur, Nicolai specialem instituit paragraphum hoc præmisso titulo: Quæ fuerit legalis conjugij consuetudo. (7) Augustini textus: ut non discedat cor ejus: juxta 70. (8) Al. deest multiplicare. EX EDIT. P. NICOLAI. (b) Lib. I. de Abraham cap. iv. Refertur in Decret. causa xxxii. quæst. iv. cap. Dixit. (c) Lib. II. contra Jovinianum cap. 111. & refertur in Decret. causa xxxii. quæst. iv. cap. Quis ignoret.

ris; sed in perfectione vitæ, & sinceritate (9) conscientiæ: & virginitas fecunditati præfertur, & sacerdotibus continentia indicitur.¹⁰

De virginitate mentis, & carnis.

Melior est autem virginitas mentis quam carnis. Unde Ambrosius Lib. II. de virginibus in medio. „Tolerabilius est mentem virginem quam carnem habere. Utrumque bonum est, si liceat. (10) Si non liceat, saltem non casti homini, sed deo simus... (11) Virgo prostitui potest, adulterari non potest: nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. Idem: (12) „Non potest caro ante corrumpi, nisi mens ante fuerit corrupta.“ Item Isidororum Lib. II. Synonymorum. „Non potest corpus corrumpi, nisi prius animus corruptus fuerit. Munda enim à contagione anima, caro non peccat.“ In fine hujus capituli aperitur, quomodo verum sit, nisi anima prius fuerit corrupta, corpus non posse corrumpi, scilicet peccato. Illu etiam Augustini (de bono conjug. cap. xvi.) advertendum est. „Sicut, inquit, satius est mori fame, quam idolothytis vesci; ita satius est defungi sine liberis quam ex illicito coitu stirpem quærere. Undecumque vero nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, & Deum recte colant, honesti, & salvi erunt. Semen enim ex qualicumque homine Dei creatura est, & eo male utenti male erit, non ipsum aliquando malum est.“

DIVISIO TEXTUS.

Postquam determinavit Magister de bonis matrimonii, hic ostendit quomodo hæc bona erant in matrimonio antiquorum: & dividitur in partes duas. In prima ostendit quomodo erant matrimonio patrum ante legem: in secunda quomodo erant in matrimonio tempore legis celebrato, ibi: *Legis vero tempore interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre &c.* Prima in duas. In prima ostendit quod ante legem patres licite plures uxores habuerunt. In secunda inquirunt quomodo cum pluralitate uxorum bonum fidei servatur, ibi: *Si quis opponat quod fidem thori non servabant illi patres, dicimus &c.* Circa primum tria facit. Primo movet quæstionem. Secundo determinat eam, ibi: *Ad quod dicimus &c.* Tertio solutionem per auctoritatem confirmat, ibi: *De hoc Augustinus sic ait &c.* & circa hoc duo facit. Primo inducit auctoritatem ad principale propositum probandum, quod scilicet illorum essent conjugia licita qui plures habebant uxores. Secundo ostendit quod etiam erant tanti meriti sicut est virginitas nostri temporis, ibi: *Quod vero castitas virginalis non præferatur in merito conjugali castitati Abrahamæ, Augustinus ostendit.*

Legis vero tempore interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre, cum noverca &c. Hic determinat de matrimonio tempore legis celebrato, & circa hoc tria facit. Primo ostendit quomodo per legem Moysi matrimonium fuit determinatum & quantum ad legitimarum personarum determinationem, & quantum ad separationem. Secundo inquirunt, utrum tempore legis liceret plures habere uxores, ibi: *Sed numquid sub lege licebat habere plures uxores?* Tertio ex consequenti de virginitate determinat, ibi: *Melior est autem virginitas mentis quam carnis.*

QUÆSTIO I.

Hic est triplex quæstio. Prima de pluralitate uxorum. Secunda de libello repudii. Tertia de virginitate.

Circa primum quærentur tria.

Primo. An habere plures uxores sit contra legem naturæ.

Secundo. Utrum fuerit licitum.

Tertio. Utrum habere concubinam sit contra legem naturæ.

(9) *Al. scientiæ.* (10) *Al. Si enim.* (11) *Nicolai:* & inferius. (12) *Nicolai:* ad virginem lapsam cap. 17.

ARTICULUS I.

Utrum habere plures uxores sit contra legem naturæ.

III. cont. Gent. cap. cxxiv.

1. **A**D primum sic proceditur. Videtur quod habere plures uxores non sit contra legem naturæ. Consuetudo enim juri naturali non præjudicat. Sed habere plures uxores peccatum non erat, quando mos erat, ut ab Augustino in littera habetur. Ergo habere plures uxores non est contra legem naturæ.

2. **P**ræterea. Quicumque facit contra legem naturæ, facit contra præceptum: quia sicut lex scripta habet sua præcepta, ita & lex naturæ. Sed Augustinus dicit, quod habere plures uxores non erat contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. Ergo habere plures uxores non est contra legem naturæ.

3. **P**ræterea. Matrimonium principaliter ordinatur ad prolis procreationem. Sed unus potest ex pluribus prolem accipere, plures fecundando. Ergo non est contra legem naturæ habere plures uxores.

4. **P**ræterea. Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit; ut in principio Digestorum dicitur. Sed natura non docuit hoc omnia animalia, quod sit una, cum unus unum mas in multis animalibus pluribus feminis conjugatur. Ergo non est contra legem naturæ habere plures uxores.

5. **P**ræterea. Secundum Philosophum in XV. de animalibus (sive I. de gener. animal. cap. xx. & xxi.) in generatione prolis mas se habet ad feminam sicut agens ad patiens, & artifex ad materiam. Sed non est contra ordinem naturæ quod unum agens in plura patientia agat, aut unus artifex ex diversis materiis operetur. Ergo nec est contra legem naturæ quod unus mas plures uxores habeat.

6. **S**ed contra. Illud præcipue videtur esse de jure naturali quod homini in ipsa institutione humanæ naturæ est inditum. Sed quod sit una unus, in ipsa institutione humanæ naturæ est ei inditum, ut patet Genes. 11. 24. *Erunt duo in carne una.* Ergo est de lege naturæ.

7. **P**ræterea. Contra legem naturæ est quod homo se ad impossibile obliget, & ut quod uni datum est, alteri detur. Sed homo contrahens cum una uxore, sui corporis potestatem ei tradit, ut necesse sit reddere debitum cum petierit. Ergo contra legem naturæ est, si postea alteri potestatem sui corporis

tradat: quia non posset simul utrique reddere debitum, si simul peterent.

8. **P**ræterea. De lege naturæ est, quod tibi non vis fieri, ne alteri feceris. Sed vir nullo modo vellet quod uxor alium virum haberet. Ergo contra legem naturæ faceret, si uxorem aliam superinduceret.

9. **P**ræterea. Quidquid est contra naturale desiderium, est contra legem naturæ. Sed zelus viri ad uxorem, & uxoris ad virum naturalis est: quia in omnibus invenitur. Cum ergo zelus sit amor non patiens consortium in amato, videtur quod contra legem naturæ sit quod plures uxores habeant unum virum.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod omnibus rebus naturaliter insunt quedam principia quibus non solum operationes proprias efficiere possunt, sed quibus etiam eas convenientes fini suo reddant, sive sint actiones quæ consequantur rem aliquam ex natura sui generis, sive consequantur ex natura speciei, ut magneti competit ferri deorsum ex natura sui generis, & attrahere ferrum ex natura speciei. Sicut autem in rebus agentibus ex necessitate naturæ sunt principia actionum ipsæ formæ, à quibus operationes propriæ procedunt convenientes fini; ita in his quæ cognitionem participant, principia agendi sunt cognitio, & appetitus: unde oportet quod in vi cognoscitiva sit naturalis conceptio, & in vi appetitiva naturalis inclinatio, quibus operatio conveniens generis, sive speciei reddatur competens fini. Sed quia homo inter cetera animalia rationem finis cognoscit, & proportionem operis ad finem; ideo naturalis conceptio ei indita, qua dirigatur ad operandum convenienter, lex naturalis, vel jus naturale dicitur; in cæteris autem æstimatio naturalis vocatur. Bruta enim ex vi naturæ impelluntur ad operandum convenienter actiones magis quam regulantur quasi proprio arbitrio agentia. Lex ergo naturalis nihil est aliud quam conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis, sive competant ei ex natura generis, ut generare, comedere, & hujusmodi; sive ex natura speciei, ut ratiocinari, & similia. Omne autem illud quod actionem inconvenientem reddit fini quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturæ esse dicitur. Postest autem actio non esse conveniens fini vel principali, vel secundario; & sive sic, sive sic, hoc contingit dupliciter. Uno modo ex aliquo quod omnino impedit finem, ut nimia superfluitas, aut defectus comestionis impedit salutem corporis quasi principalem finem comestionis; & bonam habitudinem in negotiis exercendis, quæ est finis secundarius. Alio modo ex aliquo quod facit difficilem, aut minus decentem perventionem ad finem principalem, vel secundarium, sicut inordinata comestio quantum ad tempus indebitum. Si ergo actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturæ prohibetur primis præceptis legis naturæ, quæ sunt in operabilibus, sicut sunt communes conceptiones in speculativis. Si autem sit inconveniens fini secundario quocumque modo, aut etiam principali, ut faciens difficilem, vel minus congruam perventionem ad ipsum; prohibetur non quidem primis præceptis legis naturæ, sed secundis, quæ ex primis derivantur, sicut conclusiones in spe-

culativis ex principiis per se notis fidem habent: & sic dicta actio contra legem naturæ esse dicitur. Matrimonium ergo habet pro fine principali prolis procreationem, & educationem: qui quidem finis competit homini secundum naturam generis: unde & aliis animalibus est communis, ut dicitur in VIII. Ethicorum, cap. xiv. vel xv. & sic bonum matrimonii assignatur proles. Sed pro fine secundario, ut dicit Philosophus, habet in nominibus solum communicationem operum quæ sunt necessaria in vita, ut supra dictum est; & secundum hoc fidem sibi invicem debent, quæ est unum de bonis matrimonii. Habet ulterius alium finem, in quantum in fidelibus est, scilicet significationem Christi & Ecclesiæ; & sic bonum matrimonii dicitur sacramentum. Unde primus finis respondet matrimonio hominis, in quantum est animal; secundus, in quantum est homo; tertius, in quantum est fidelis. Pluralitas ergo uxorum neque totaliter tollit, neque aliquo modo impedit primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fecundandis, & educandis filiis ex eis natis; sed secundum finem etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum: & quia communicatio plurium in uno officio causat litem, sicut figuli corrixantur ad invicem, & similiter plures uxores unius viri. Tertium autem finem totaliter tollit, eo quod sicut Christus est unus, ita Ecclesia una: & ideo pater ex dictis quod pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturæ, & quodammodo non.

Ad primum ergo dicendum, quod consuetudo non præjudicat legi naturæ quantum ad prima præcepta ipsius, quæ sunt quasi communes animi conceptiones in speculativis; sed ea quæ ex istis trahuntur ut conclusiones, consuetudo auget, ut Tullius dicit II. Rethoricorum; & similiter minuit: & hujusmodi est præceptum legis naturæ de unitate uxoris.

Ad secundum dicendum, quod, sicut dicit Tullius, res à natura perfectas, & à consuetudine approbatas legum virtus, & religio sanxit. Unde patet quod illa quæ lex naturalis dicitur, quasi ex primis principiis legis naturæ derivata, non habent vim coactivam per modum præcepti absolute, nisi postquam lege divina, & humana sancita sunt: & hoc est quod dicit Augustinus quod non faciebant contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum.

Ad tertium patet solutio ex dictis.

Ad quartum dicendum, quod jus naturale multipliciter accipitur. Primo enim jus aliquod dicitur naturale ex principio, quia à natura est inditum; & sic diffinit Tullius in II. Rethoricorum, dicens: *Jus naturæ est quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit.* Et quia etiam in rebus naturalibus dicuntur aliqui motus naturales, non quia sicut ex principio intrinseco, sed quia sunt à principio superiori movente, sicut motus qui sunt in elementis ex impressione corporum cælestium, naturales dicuntur, ut Commentator dicit in III. cæli, & mundi, com. xx. ideo ea quæ sunt de jure divino, dicuntur esse de jure naturali, cum sint ex impressione, & infusione superioris principii, scilicet Dei; & sic accipitur ab Isidoro (a) Lib. V. Etymol. cap. iv. & habetur in princ. Decret. qui dicit quod jus naturale est quod in lege; & in Evangelio continetur. Tertio dicitur jus naturale non solum à principio, sed à natura, quia de

Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Nihil tale apud Isidorum... Sed ab initio Decreti non ut ex Isidoro, sed ex Gratiano præmittitur quod hic ex Isidoro citat.